



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.39. Arnoldus Archiepiscopus Romanorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

§. XXXIX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1257.*Arnoldus Archiepiscopus Tre-
virensis.*

Archiepiscopus Trevirensis erat Arnol-
 dus Isenburgicus, qui hanc sedem
 tunc quindecim annis tenuerat, quia an-
 no 1242 Theodorico avunculo suo suc-
 cesserat. Hoc anno 1257 Præpositi ad *Brouver.*
 S. Paulinum & ad S. Simeonem, cætero- *Ann. lib. 16.*
 rumque Collegiorum Trevirensium apud *Notæ to. 2.*
 Papam Alexandrum de Arnol- *p. 553.*
 do conque-
 sti sunt, quod cum Archiepiscopatu suo
 quendam Archidiaconatum, duas digni-
 tates alias, & quinque parœcias retine-
 ret; quod anni primi redditus ex omnibus
 beneficiis, quæ Pontificatus sui tempore
 vacua essent facta, sibi vendicaverit;
 quod pensiones indebitas a Clero suo ex-
 igeret; quod illius domestici, ejusdem-
 que arcium incolæ gravibus ecclesiis af-
 ficerent malis, immo etiam expilarent,
 ac incenderent, nec tamen iis se oppo-
 neret. Addebant: Per annos duode-
 cim & supra sibi attribuit proventus ho-
 spitalis domus Trevirensis alendis pau-
 peribus ægrisque destinatos, ac trecen-
 tarum argenti selibrarum pondus confi-
 cientes: illamque ipsam domum occupa-
 vit. Et post aliqua minoris momenti
 puncta:

Sæcul. XIII.
A. C. 1257.

puncta: Nec synodum, nec concilium, quamdiu Archiepiscopus est, habuit. Nec permittit, ut Archidiaconi jurisdictionem exerceant suam. Clericos comprehendi jubet in locis perfugii, ubi ne fures quidem laici caperentur.

Papa negotium commisit Cardinali Hugoni; qui auditis accusatoribus, & procuratoribus Archiepiscopi, sententiam suam Viterbii in partium præsentia ferens, Archiepiscopum beneficia, quæ possideret, ac beneficiorum vacantium fructus abdicare jussit, nisi quindecim intra dies a recepta sententia gratiam legis a Papa factam ostenderet. Etiam reliquis cunctis ex capitibus condemnatus est, jurisdictionem Archidiaconorum si excipias, de qua statutum, ut partes convenirent de arbitris, qui inquirerent in consuetudinem, & ad hanc se conformarent. Archiepiscopus Arnoldus biennio post obiit, nimirum 13 Novembris anno 1259. In epitaphio suo non laudatur nisi ob loca, quæ acquisiverat, munieratve.

p. 147.

§. XI.

Ecclesiæ Septentrionales.

Vading.
1255. n. 16.

Bellum in Polonia vicinisque regionibus contra Lithuanos, cæterosque his confines ethnicos continuabatur: & Papa